Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0002-5

33

AD

V I R V M

AMPLISSIMVM DOCTISSIMVMQVE

M. FRIDERICVM IMMANVELEM SCHVVARZIVM

S. S. THEOLOGIAE CANDIDATVM ET ILLVSTRIS SCHOLAE
QVAE GRIMAE FLORET RECTOREM
CELEBERRIMVM

N V P T I A S

VITEBERGAE PRIDIE CAL. NOVEMBR. MDCCLVIII.
CELEBRANTEM

E P I S T O L A

D V O R V M F R A T R V M
TORGAVIENSIVM

T O R G A V I A E

LITERIS RVDELIANIS

Au

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0003-1

SCHWARZI, noſter amor, ſis praeſens ipſe, vel abſens,
Qui nos haud dubie, qualis amaris, amas.
SCHWARZI, nil poterat nobis acceptius eſſe,
Quodque magis recreet pectora iuncta Tibi,
Quam Sponſum Te Sponſae haerere amplexibus, atque
Nunc demum victas ſponte dediſſe manus.
Haecce quidem ſero prona percepimus aure;
Attamen ad partes Muſa venire cupit.
Macte animo! tenero cum nil non cedat Amori,
Res haud poſtremae, cedere, laudis erit.
Macte noua virtute! nihil qui iuris habebat
In Te, iam de Te, Sponſe, triumphat Amor.
Sat Phoebo Muſisque datum, tetricaeque Mineruae:
Linque Palaeſtinis ſcripta verenda Syris.
Reiice Socraticas, quondam Tua gaudia, chartas,
Attica quas tellus, quasque Latina, tulit.
Quas grates, Viteberga, tibi, quae vota, parabit
SCHWARZIVS, haud vno nomine factus amans?
Tu prius Aonios, animi medicamen, amores
Adflas, nunc alius conciliatur amor.
Quod caput ante ſacrae voluiſti innectere lauro,
Iſtud Acidalia cingere fronde ſtudes.

Eia age, quid ceſſas? quid differs gaudia, Sponſe?
Eia age, Sponſa venit. Plaudite, quisquis adeſt!
Optimus hoc Genitor, Gens hoc Tua tota, requirit,
Iam pridem votis hoc pia Mater auet.
Quot ſibi Te, votis ſecum, petiere puellae?
At voti compos nulla puella fuit.
Tu, niſi tam parcus formae ſpectator honeſtae,
Attalica felix conditione fores.
Quaeque diu placuit tacito Tibi pectore ſola,
Nunc audit primum: Tu mihi ſola places.
Qualis in Aeolia Cephalus, cum Procrin amaret,
Spreuerat Auroram: pectore Procris erat.
Eia age, Sponſa venit, Veneres, Charitesque ſequuntur,
Quam ducit Pietas, ſubſequiturque Fides.
Huic dignus Pater eſt, quantum eſt ea digna Parente;
Conuenit huic Genitor, conuenit illa Patri.
Eſt is Leucorei decus immortale Lycei,
Quo ſtat Relligio vindice, ſtetque diu.
Ecce, fauent animis laeti, iuuenesque, ſenesque:
Dicere tam fauſto fas bona verba die eſt.
In partem plauſus, plauſu res digna putatur,
Et venit intonſo turba ſacrato Deo.
Hinc Pater, inſolito ſonitu mox excitus, Albis,
Exſerit obtectum, Marte furente, caput.
Naïas vna tamen, cunctis formoſior, ipſi,
Conſcia quae facti, talia dicta dedit:
„Feſta dies agitur, qua, plauſus inter, amati
„Conuenit in Sponſi Virgo petita manus.
„Schwarzivs ille tuus, tuus ille eſt, Albis, alumnus;
„Natus ad Albiacas, omine, propter aquas.
„Protinus ingenuis ſtudiis nutritus, et arte,
„Miſna vbi vitiferis lucet amoena iugis.
„Ille tuas poſthac, veri ſtudioſus, Athenas
„Accedens, longe doctior inde redit-

„Viſa ſibi felix illum Torgauia cepit,
„Cuius in amplexu per breue tempus erat.
„Eſt raras mirata Viri Torgauia dotes:
„Mox tamen egregio non datur ore frui.
„Hinc tam dilecta ſubito diuulſus ab vrbe,
„Pieridum, Grimae, gloria prima fuit.
„Quid? non ille meus, rauco pater intonat ore,
„Amplius? Eſt, inquit Naïas, ille tuus.
„Sicut Molda tibi famulas non deſinet vndas
„Mittere: ſic nunquam deſinet eſſe tuus.
Dixit, et irriguis, plaudens, ſe fluctibus abdit
Caerulus ipſe pater, Naïadumque chorus.
Haec Deus ille tuus tribuit Tibi gaudia SCHWARZI,
Gaudia Pegaſeis concelebranda modis.
Quot pro Te certant ſuſceptis vndique votis,
Et, pia quae deceat thura tuliſſe, ferunt?
Prouida Te Virtus, quae Vos ſociauit amantes,
Protegit, atque opibus Copia dia beat.
Te fouet amplexu Concordia laeta quieto:
Hinc alit incaſſum tam graue virus Eris.
Haec Te, caſte, manent, caſta cum Coniuge, Coniux:
Fortunate nimis, cui, bona noſſe, datur.
Neſtoreos, ſine nube, dies, et optima quaeque,
Qualiacunque voues, mens Tibi noſtra vouet.
Sic valeas, faueasque pari, Cariſſime, fratrum,
Quod Te plus oculis diligit vsque. Vale.

21. Aug. 1981
-9. Aug. 1982
78 M 355 (1)
ULB Halle 3
002 188 791
TA OL
VD17
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0007-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0008-9

AD

VIRVM

AMPLISSIMVM DOCTISSIMVMQVE

M. FRIDERICVM IMMANVELEM SCHVVARZIVM

S. S. THEOLOGIAE CANDIDATVM ET ILLVSTRIS SCHOLAE QVAE GRIMAE FLORET RECTOREM CELEBERRIMVM

NVPTIAS

VITEBERGAE PRIDIE CAL. NOVEMBR. MDCCLVIII. CELEBRANTEM

EPISTOLA

DVORVM FRATRVM TORGAVIENSIVM

TORGAVIAE

LITERIS RÜDELIANIS

Au

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-452896-p0009-8